

05 A 525

05

A

525





FAVENTE CHRISTO
IMMANUELE,

VIII. DISPUTATIO

συνοδολογική,

eaque

V. Specialis, & prior de SYNODO
EPHESINA I. Oecumenica III.

De

ACTIS SIVE REBUS GE-

stis Synodi, κατὰ πειράσεις, ἰσορμῶς,

In Electorali ad Albim Academia,

Proposita

AUTORE AC PRÆSIDE

IOHANNES FÖRSTERO

SS. Th. D. & Prof. Ordinario.

Respondente

IOHANNES SCHULTETO Vratislaviensi.

Ad diem 12. Decembr. horis locoque consuetis.

WITTEBERGÆ,

Ex officina Iohan. Gormanni

ANNO M. DC. XII.



DS A 525



Μετάβασις προφασκευαστική

Themation. I.

2. Cor. 6. 11. Apostolus ερανοδιδασκῶς Αρχιεπίσκοπος nostram à Serpente deceptam fuisse, ἐν τῇ πανουργίᾳ, edisserit.

II.

Istam verò non saltem tum cepit Μυριοτεχνίτης ille Stygius, & (a) Serpens Antiquus Satanas, circa Mundi exordium: Verum etiam, per Mundi curriculum, eandem continuavit.

(a) Αποκ. 6. 12, 9.

III.

Maximè verò in ea religionis parte, quæ, speciali significato, κατ' ἐξοχήν Θεολογία, ic est, doctrina de DEO nuncupatur.

IV.

In hac cettè mox in primitiva olim Ecclesia Serpentinam suam πανουργίαν toti Christiano Orbi luculentissimè conspicendam præbuit,

V.

DEUM PATREM, primam Sacrosanctæ Trinitatis personam oppugnare ausus non est. Id enim nimis crassus & crudus, fuisset ἀθεϊσμός, isque κατὰ Διάμετρον adversus notitiæ DEI naturali, omnibus omninò hominibus insitæ.

VI.

Aggressus verò est FILIUM DEI, & primùm excitavit Hæticos, qui Divinam ejus existentiam negarunt, è quorum numero Cerinthus, Ebionitæ, Beryllus Bostrensis, Paulus Samosatenus.

VII.

Hac blasphemiâ, ut nimis palpabili & exitiosâ ab Ecclesiâ Verbi Divini autoritate explosâ: eâ relictâ, aliam producit, magis probabilem & speciosam, per Arium.

A 2

IIIX. Is

VIII.

Is enim Hypostasim FILII DEI minimè negabat: quin imò FILIUM DEI, jam ante secula & Mundi Creationem, extitisse voce apertâ ac sonorâ propalâ fâtebatur.

IX.

Quòd autem FILIUS PATRI ὁμοούσιος, per coeternam ex essentiâ PATRIS generationem; id pertinacissimè negabat.

X.

Sed, à Synodo Nicenâ & hac damnatâ, ac profligatâ Θεομαχία: mox à FILIO DEI *secunda DEITATIS persona*, transfilijt ad *tertiam*, SPIRITUM SANCTUM, excitatis & in aciem productis Macedonio hujusque complicibus, qui æternam SPIRITUS SANCTI Divinitatem infestare ausi.

XI.

Sedatâ feliciter & istâ Πνευματομαχία, auctoritate Synodæ Constantinopolitanae, Serpensille πανεργός, misso SPIRITU SANCTO, relabatur ad FILIUM DEI neq; amplius Deitatem ejus, ut antea, sed Humanam ejus Naturam adoritur.

XII.

Quam ad rem utitur operâ administrâ cujusdam Nestorij, qui Humanam CHRISTI Naturam τῷ λόγῳ personaliter unitam diffitebatur.

XIII.

Contra hunc Hæresiarcham, indicta & celebrata fuit *tertia* Synodus Oecumenica, Ephesina nempe prima.

XIV.

Posteaquam igitur hætenus contemplati sumus Constantinopolitanam Synodum, quæ *Oecumenica I.* consequens est, ut de ista quoque Ephesinâ, *Oecumenicâ Tertiâ*, disseramus.

XV.

Dogmatica differimus in proximè sequentem Νεαργισθῆν: hæc *vice Historica* istius Synodi, methodo consuetâ disquiremus.

I. *Causa Efficiens, sive à quo Concilium istud indictum.*

Bellæ.

XVI.

Bellarminus uī *πρωτεία* Antichristianam stabilitat, stabilitam propugnet; Synodam hanc indictam fuisse, contēdit, *industriā* Cyrilli Episcopi Alexandrini, & *autoritate* Celestini Pontificis Romani, ut testetur Prosper in Chronico.

Lib. I. de Concilijs 6, 13.

XVII.

Sed non Pontificem: uerū Imperatorem Romanum, puta Theodosium II, sive *juniozem* (qui respectu Avi, Theodosij I, vel Senioris ita cognominatus,) Synodum istam, suā autoritate congregasse, tam certum est, quā quod certissimum.

XIIX.

Sistimus *triplices* in publico Veritatis theatro, testes; 1. *Historicos* fide dignissimos. 2. *Acta Conciliorum* vel ipsis *πρωτογλαφαις* *ὁμολογείμας*. 3. Ipsum Pontificem Romanum, Celestini successorem.

XIX.

I. Ex *Historicis* prodeant hi cum suis testimonijs omni exceptione majoribus:

Liberatus in Hist. Concil. Ephesin.

Et posthac scripsit (Theodosius) *gratiam sacram* ad universos Episcopos, ut Ephesum convenirent, & ferrent de Nestorij libris *sententiam*.

Evagrius lib. I. c. 3.

Hec nefaria Nestorij dogma cūm Cyrillus, Episcopus Alexandriae, vir sanè ipsa fama celebritate insignis; sigillatim per literas refutasset, Nestoriusq; ejusq; scriptis reluctatus est, & neq; Cyrillo neq; Celestini antiquæ Romæ Episcopi consilijs obsecundavit, sed suum ipsius virum nihil veritus evomuit in Ecclesiam, postulavitq; ut **AUTHORITATE AC NUTU THEODOSII JUNIORIS**, qui tūm Orientis administravit imperium, primum Concilium Ephesi cogeretur. Itaq; literæ Imperatoris erant ad Cyrillum & ad alios omnes ubiq; sanctarum Ecclesiarum *præsides* missæ: quæ diem Pentecostes, quo die vitalis & sacer Spiritus ad nos descendit, conventui præstituerunt.

A

3

XX.2. Ex

XX.

2. Ex Actis Conciliorum vel hæc una sufficere potest sententia :
*Non multò post tempore iussio PRINCIPALIS Episcopos undiq³ ad
 Ephesum convenire præcepit.*

XXI.

3. Celestini successor Leo ipse met fatetur Concilium istud, non
 Pontificis: sed Imperatoris Romani autoritate fuisse convo-
 catum.

Epist. 12.

XXII.

Quid? hic ipse est, quinon modò non ausus est Concili-
 um indicere ullum; sed precibus id omnibus à Theodosio Impe-
 ratore humilimè contendit. Sic enim habent propria ejus ver-
 ba, quæ ἰδιογλώσσως jam allegamus.

Epistola IX. ad Theodosium.

*Vnde si pietas vestra suggestioni ac supplicationi nostræ dignetur an-
 nuere, ut intra Italiam haberi jubeatis Episcopale concilium.*

Epistola 24. ad eundem.

*Omnes mansuetudini vestræ cum gemitibus & lacrymis supplicant sa-
 cerdotes, ut generalem Synodum jubeatis intra Italiam celebrari.*

XXIII.

Quibus precibus absit ut Imperatori aliquid imperârit, ut
 etiam iisdem nihil penitus impetrârit; vel ipso Baronio Cardinali,
 Sedis Apostolicæ Historico, teste.

XXIV.

Nullum enim, præter illud Ephesinum, à Theodosio indi-
 ctum fuit Concilium, tametsi Pontifex nihil magis in votis & o-
 pratis habuerit, quam intra Italiam generale celebraretur con-
 cilium.

XXV.

Quam loci commoditatem procul omni dubio, τῶν ἀμ-
 φᾶν, quod dicitur, Latius ille Jupiter arripuisset, si penes ipsum
 potestas cogendi Concilia fuisset.

XXVI.

Ceterum Ratiunculas vel potiùs conjecturas Bellarmini si
 spectes: proh quantilli eæ sunt precij?

XXVII. I. Ad

XXVII.

I. Ad Chronicon Prosperi provocat, cui quid, hac in parte tribuendum, ex testibus jam modò in contrarium productis, qui non intelligit, nihil intelligit.

XXIIX.

Et qui fit quæso, quòd Bellarminus ex Prospero, (ad cuius auctoritatem, tanquam ad Asylum, in re desperatâ, se recipit;) Cyrillum præponit Cælestino Pontifici. Ita enim scribit:

De EPHESINO I. Prosper in Chronico indicat Synodum Ephesinam factam esse Cyrilli industriâ & Celestini auctoritate.

lib. I. c. 13.

XXIX.

2. Hunc in modum ineptit idem ineptiarum Propola, sive mango:

Cyrillus tanquam legatus Sedis Apostolicæ profectus est ad Concilium.

Ergo Pontificis Romani auctoritate congregatum fuit Concilium Ephesinum.

XXX.

Sic enim ulterius eo loci nugator nugacissimus nugatur:

Constat etiam ex Evagrio lib. I. c. 4. & ex Epistola Celestini ad Cyrillum, qua habetur inter opera Cyrilli, & ex Photio in lib. de septem Synodis, Cyrillum profectum esse ad concilium tanquam legatum apostolicæ sedis, quod est argumentum certum, eam Synodum non sine consensu Pontificis coactam esse.

XXXI.

O lumen & acumen Hispanicum! Quid si par pari referens, per comparationem cum æquè absurdo, responderem:

Bellarminus fuit Sedis Apostolicæ, (Apostaticæ) in Comitibus Regni Hispanici Legatus.

Ergo non Rex Hispaniarum; sed Bellarminus indixit illa Comitibus.

XXXII.

Insaniâ ipsa insanior esset, qui, cum insano isto homine, insano hoc modo, insaniret.

II. Locus

XXXIII.

Locus

Locus hujus Concilij fuit *Ephesus* metropolis olim *Asiae* minoris, sita in *Ionía*, ad litrus maris *Icarij*.

Pomponius Mela de Orbis situ Lib. III. p. 29.

Julius Solinus c. 53.

XXXIV.

Crebra hujus Urbis celebratissimæ mentio fit Sacris in Literis, utpote, *Act. c. 18, 19, 21, 24, c. 19, 1, 17, 26. c. 20, 16. 17. 1. Cor. 15, 32, c. 16, 8. Eph. 1, 1. 1. Tim. c. 1. 3. 2. Tim. 1, 18, c. 4, 11. Apoc. c. 1. 11 c. 2. 1.*

XXXV.

Cur Urbs ista, præ *Constantinopoli*, Synodo illi destinata fuerit; scire non licet.

XXXVI.

Susplicari libet: factum id esse: five ob loci celebritatem, five ob sitûs commoditatem, respectu *Cyrilli* Episcopi *Alexandrinii*, cujus hoc in Concilio potissima autoritas.

III. Tempus.

XXXVII.

Dies Conclio præstitutus fuit festivitàs *Pentecostes*, si ve nonus *Dominicus*, uti vocabatur,

Evagrius lib. 1. c. 3.

XXXVIII.

Dies, quo factum Concilij initium fuisse scribitur, erat 21. Junij, dies 15, post *Pentecosten*.

Evagrius lib. 1. c. 3.

XXXIX.

Annus erat *Epoche* *Christi*. 431.

secundum alios 432.

(d) A *Cond. Mundo* 5915.

secundum numerationem *Nicephori*.

(e) *Aera* *Hispanica* 468.

Theodosij II. Imper. 8.

A *Concilio* *Niceno* 1. 106.

A *Concilio* *Constantinop.* 1, 50.

IV. Modus.

I. *Occasio*.

XL.

Occasionem Concilio isti præbuit Nestorius, Episcopus & Patriarcha Constantinopolitanus, suscepto in se patrocinio Anastasij cujusdam, ejusdem Ecclesiæ Presbyteri, qui Mariam DEI parantem non esse, pro concione contenderat.

XLI.

Quod ut planius pleniusq; cognoscat, moræ operæque precium fuerit, integrum huc consignare è Volumine Conciliorum, ea de reparagraphum:

Tom. I. Concil. f: 533. 532.

Erat cum eo (Nestorio) Anastasius presbyter, ab Antiochia pariter destinatus, quem nimis honorabat, & veluti consiliarium habebat in causis. Aliquando igitur coram Ecclesiâ docens Anastasius, dixit: DEI genetricem Mariam nullus appellet. Maria enim homo fuit, & Deum ab homine generari, prorsus est impossibile. Hoc cum auditum fuisset, plurimos clericorum & laicorum pariter conturbavit. Olim namq; didicerant, Deum fieri Christum, & nullatenus eum per dispensationem velut hominem à divinitate separari, credentes Apostolicæ voci, quæ dixit: Etsi cognovimus secundum carnem Christum, sed nunc nequaquam cognoscimus. Quapropter relinquentes de Christo sermonem ad perfectionem procedamus. Tumultu siquidem (sicut dixit,) in Ecclesia facto, Nestorius Anastasij sermonem confirmare volens, & non redarguere velut blasphemum qui ab eo videbatur honorari, frequenter ex hoc coram Ecclesiâ, decuit, & cum majori contentione questionem hanc agitabat, sermonem DEI genetricis abjiciens. Unde divisio nata est in Ecclesiâ, & velut in nocturnâ lite, diversi nunc his, nunc aliis consentiebant, & verba propria denegabant.

2. Cor. 5.

II. Processus.

XLI.

Ex accuratiori Actorum Concilij consideratione, processus ejusdem gradus sequentes constitui possunt aptissimè.

XV. Processus Concilij Gradus.

XLIII.

1. Cyrillus, absente adhuc Johanne Episcopo & Patriarcha Antiocheno ne tempus dilaberetur, facit initium Synodi, accersito Nestorio, ut compareat, & criminibus ipsi objectis respondeat.

I.

B

XLIV.



2. 2. Comparer primâ vice Nestorius & cum multi CHRISTUM DELUM esse confirmarent :

Ego (inquit) eum qui mensuris spatiis, hoc est, bimestri, & trimestri, & ita deinceps humano more adoleverit, Deum certè non appell. vero.

Socrates lib. VII. c. 33. XLV.

3. 3. Iterum ter vocabatur ad Concilium, sed nolebat se sistere. Primùm vocatus, se deliberaturum, respondebat. Secundùm vocatus, non admissis Concilij Legatis, absentiam Johannis Antiocheni & reliquorum, cautabatur. Tertiùm legati ad ipsum missi, in vestibulo ejus armatos offendebant milites, à quibus contumeliosè repellebantur. XLVI.

4. 4. Cum igitur satis superque constaret non compariturum esse Nestorium, lectis & Cyrilli Epistolis, & Nestorij quoq; scriptis, sententia contra eum promulgatur his concepta verbis :

Vt omittamus alia honoratissimi scilicet Nestorij scelera, quoniam à nobis accersitus, obtemperare noluit, neq; sanctissimos religiosissimosq; Episcopos à nobis ad eum missos recipere, inducti necessitate ad impia ejus dogmata excutienda aggressi sumus: & cum partim ex ipsis Epistolis & libris à nobis perlectis, partim ex verbis nuper in hac urbe primariâ recitatis ab eo, & quasi testimonio confirmatis, eum impiè & sensisse & predicasse deprehenderimus, tum Ecclesie canonibus, tum Epistola sanctissimi Patris nostri, & Collegæ Celestini, Episcopi Ecclesie Romanae, necessario compulsus, idq; non sine crebris lacrymis ad hanc severam sententiam contra eum pronuntiandam, venimus. Itaq; Dominus noster JESVS CHRISTVS, contra quem blasphemias loqui non dubitavit Nestorius, per istud sanctum Concilium decidit statuitq; eum & Episcopatus dignitate abdicandum, & ab omni conventu sacerdotum penitus excludendum esse.

Evagrius lib. I. c. 4.

XLVII.

5. 5. De negotio hoc literæ mittuntur Constantinopolin ad Imperatorem, & ut permittat Nestorij liberos cumhuri, rogatur: Sed detinentur tabellarij autore Candidiano Comite.

XLVIII.

6. 6. Nestorius cum Episcopis, qui à suis stabant partibus conciliabulū aliud privatim ac separatim, contra Synodum Ordinariam, in qua damnatus, cogit; atq; ita Episcopi, qui Ephesi cōvenerant, in duas scinduntur factiones, Socrates lib. VII. c. 33. XLIX.

7. Intervenit suis cum Episcopis viginti duobus, uti Nicephorus numerat Iohannes Patriarcha Antiochenus, quinto post abdicacionem Nestorij die. *Evagrius lib. I. c. 5.*

L.

8. Is se nescio & absente, abdicatum fuisse Nestorium, indignissime ferens, cum suis sese adjungit factioni Nestoriana; (quavis à doctrinâ Nestorij totus abhorreret) adeoque cum hoc, alijsque quadraginta abdicat, & anathematis fulmine ferit & Cyrillum, Patriarcham Alexandrinum & Memnonem Episcopum Ephesinum. *Socrates lib. VII. c. 33. Evagrius lib. I. c. 5.*

LI.

9. Post libellos à Cyrillo & Memnone Concilio oblatos, accersitur Iohannes Antiochenus, de abdicacione ab ipso facta responsurus, qui cum licet ter accitus, non compareret: à Concilio Orthodoxorum damnatur, & ipse & simul cum ipso alij, inter quos etiam Theodoretus, ac ne quid Symbolo Niceno vel addatur, vel dematur seriò prohibetur. *Evagr. lib. I. c. 5.*

LII.

Factum id est restantibus Chronologis. 17. Julij, posteaquam pridie ejus diei, id est. 16. Julii, Patres Concilij, de conciliabulo Nestorij, demùm certiores facti.

LIII.

10. Rescriptum Imperatoris, minùs rectè de hoc negotio informati, publicatur, sequestratis Nestorio & Cyrillo, per Iohannem Comitem, cujus ipsemet meminit, in literis ad Imperatorem, quæ habentur *Tom. I. Concil. fol. 585.*

LIV.

11. Episcopi Orientales Schismatici, ad Rescriptum illud literas remittunt ad Imperatorem, quibus Cyrillum odiosè suggillant & traducunt; sicut patet ex earum exemplari, quod insertum eidem Tomo p. mox sequente 586. *LV.*

12. Imperator evocat Septenos ex utraq; parte Chalcedonem. Atq; huc pertinent Scripta, partim Orthodoxorum: partim Schismaticorum, quorum Exemplaria literis consignata

Tom. eodem Concil. à pag. 586, usq; ad pag. 597.

B 2

LVI.

13. Audiuntur legati ii. Septembris, & cum improbitate Nestorii cognitâ, Imperator pius ad Cyrillum Alexandrinum & Johannem Anthiochenum literas mittit, quibus illi invicem reconciliati fuerunt Evagrius lib. i. c. 5,

14. Hoc facto à totâ Orthodoxorum Synodo, & abdicatio Nestorij rata fit: & duodecim Anathematismi Cyrilli comprobantur, quorum hæc est sententia:

I. Si quis non confiteatur, Deum esse veraciter Emmanuel, & propterea genitricem sanctam virginem, (peperit enim secundum carnem, carnem factum DEI verbum, secundum quod scriptum est, Verbum caro factum est,) anathema sit.

II. Si quis non confiteatur, carni secundum substantiam unitum DEI Patris Verbum, unumque esse Christum cum propria carne, eundem scilicet DEVM simul & hominem, anathema sit.

III. Siquis in uno Christo dividit substantias post unitatem, solâ eas connectione conjungens, eamque, quæ secundum carnis dignitatem sit, vel etiam auctoritatem & potestatem, ac non potius conventu, qui per unitatem factus est naturalem, anathema sit.

IV. Si quis in personis duabus vel subsistentiis eas voces, quæ in apostolicis scriptis continentur & Evangelicis, dividit, vel quæ de Christo dicuntur à sanctis, vel ab ipso: & aliquas quidem ex his, velut homini, qui præter DEI verbum specialiter intelligatur, aptaverit, illas autam tanquam dignas DEO, soli DEI Patris Verbo deputaverit, anathema sit.

V. Si quis audeat dicere, hominem Christum Theophoron, id est, deiferum, ac non potius Deum esse veraciter, dixerit, tanquam filium per naturam, secundum quod Verbum Caro factum est, & communicavit similiter ut nos, carni & sanguini, anathema sit.

VI. Si quis dicit, Deum esse vel Dominum Christi, DEI Patris Verbum, & non magis eundem ipsum confiteatur DEVM simul & hominem, propterea quod Verbum Caro factum est, secundum Scripturas, anathema sit.

VII. Si quis velut hominem, Iesum operante DEO Verbo dicit adjutum, & unigeniti gloriam, tanquam alteri præter ipsum existenti, tribuit, anathema sit.

VIII. Siquis audet dicere, assumptum hominem coadorandum DEO Verbo,

&

& conglorificandum & connumerandum Deum, tanquam alterum cum altero, (nam con syllaba super adjecta, hac cogit intelligi) ac non potius unâ supplicatione veneratur Emmanuel, unamq; ei glorificationem dependit, juxta quod Verbum Caro factum est, anathema sit.

IX. Si quis unum Dominum Iesum Christum glorificatum dicit à Spiritu s., tanquam qui alienâ virtute per eum usus fuerit, & ab eo acceperit efficaciam contra immundos Spiritus, posse & coram hominibus divina signa perficere, ac non potius proprium fateatur ejus Spiritum, per quem divina signa explevit, anathema sit.

X. Pontificem & Apostolum confessionis nostræ, factum esse Christum, divina Scriptura commemorat. Obtulit enim semetipsum pro nobis in odorem suavitatis Deo & Patri. Si quis ergo Pontificem & Apostolum nostrum dicit factum non ipsum Dei Verbum, quando Caro factum est, & homo juxta nos homines, sed velut alterum præter ipsum specialiter hominem ex muliere, aut qui dicit, quod pro se obtulisset semetipsum oblationem, & non potius pro nobis, solis (non enim eguit oblatione, qui peccatum omnino nescivit) anathema sit.

XI. Si quis non confitetur, carnem Domini vivificatricem esse, & propriam ipsius Verbi DEI Patris, sed velut alterius præter ipsum, conjuncti eidem per dignitatem, aut quasi divinam habentis habitationem, ac non potius vivificatricem esse, quia facta est propria Verbi, iuncta vivificare valentis, anathema sit.

XII. Si quis non confitetur DEI Verbum passum carne, & crucifixum carne, & mortem carne gustasse, factumq; primogenitum ex mortuis, secundum quod vita est, & vivificator ut DEVS, anathema sit.

L VIII.

15. Prosper & Marianus Scotus referunt, unâ cum Nestorio simul fuisse damnatos Pelagianos, ut qui Nestorij dogma, cognarum sibi adjuverint; quemamodum etiam Pelagianismus in Concilio Nestorij, antea stabilitus legitur.

3. Exitus Concilij.

LIX.

Ad Exitum revocamus, quod Nestorius Episcopatu privatus fuit, & expulsus in exilium, quod sustinuit primò aliquot annis, in quodam Monasterio Antiochiæ vicino: postea in extremis

B 3

Ægypti

Ægypti & Africae finibus Oasis, quò, Imperatoris Theodosij edicto, deportatus fuit. Sic enim Nestorius ipse in Epistola quadam, citante Evagrius:

Ex Imperatoris edicto Oasis, alio nomine Ibim appellatam, demigrare coacti sumus. Lib. I. c. 7.

LX.

Meminit idem Scriptor eodem in loco illustris obitus Nestorii, perquam horrendi, hisce verbis:

Ipse equidem accepi à scriptore quodam modum, quo decessit è vitâ. talem fuisse: nimirum ejus linguam vermibus exesam esse, sicq; eum ex hujus vitæ miseris ad graviora supplicia justo DEI judicio infligenda, eaq; sempiterna migrasse.

VI. Materia, sive negocia de quibus disceptatum in Concilio.

LXI.

Negocia, quæ in hoc tractata Concilio duum sunt generum: Quædam erant Theologica, cætera Ecclesiastica.

LXII.

Theologica erant duo: unum principale: alterum minus principale & quasi, supernumerarium.

LXIII.

Negocium Theologicum principale erat assertio doctrinæ de personâ CHRISTI, adversus Nestorianismum, de quo, proximâ Disputatione, ex professo.

LXIV.

Jam saltem delibetur πρόεσμα; quod hinc elicit Megalander (i) Lutherus: Neq; in hoc Concilio novum aliquem Fidei articulum fuisse conditum: sed Veterem illum in Scripturâ traditum, adversus novum Nestorij inventum & commentum, è Scripturâ defensum (i) Tom. VII. lex. f. 247.

LXV.

Nequaquam enim convenit Concilijs nova gignere & fingere dogmata: sed illa vetera sacris in literis fundata & θεοπαιεδοτα, ut καλήν τὴν ἀναθήνην, fideliter custodire & propugnare.

Idem Tom. eodem p. 246.

LXVI.

LXVI.

Minus principale erat definitio contra impios Messalianitas, hoc est Euchetas & Enthusiaftas.

Tom. 1. Concil. p. 553.

LXVII.

Ecclesiastica erant tria, 1. Promulgatio VII. Canonum disciplinam Ecclesiasticam maximè spectantium, 2. decretum, ut nemo Episcoporum provinciam occupet alienam.

Tom. 1. Concil. p. 540. 541.

LXVIII.

3. Epistola ad Concilium Pamphyliaë, pro Eustathio, qui ibidem fuerat Episcopus.

V I. Personæ quæ interfuerunt Concilio.

I. Præses.

LXIX.

Bellarminus affirmat Papam: negat Imperatorem præsedisse.

Lib. 1. de Concil. c. 13.

LXX.

Si objicias Papam non interfuisse Concilio: mox recipit se ad Cyrillum Episcopum Alexandrinum, perque hunc, ut Legatum, præsedisse illum contendit.

LXXI.

Acfanè, quod Celestinus Pontifex Romanus suas partes Cyrillo commendarit, non infitemur, eòq; tendunt testimonia Historicorum, quæ Jesuita allegavit.

LXXII.

Quod autem, ob idipsum autoritatem Synodo præsidendi tantquam jus Pontifici Romano proprium & hæreditarium, sibi ultrò vendicaverit Cyrillus: id evincendum erat. Jesuitæ Hic enim Rhodus: hic saltus.

LXXIII.

Verùm enimverò ut controversia hæc expediatur distinctius: inter præsidem *summum* sive *primarium*, & *subordinarium* sive *secundarium* distinguimus.

LXXIV.

LXXIV.

Præses hujus Concilij *summus & primarius* extitit Romanus Imperator, cujus rei argumenta sunt *tria* potissimum.

LXXV.

1. Quòd Imperator præter Candidianum, eò ablegavit Johannem Comitem Sacrensem, qui Episcopos, literis Imperatorijs, in officio contineret.

Tom. I. Concil. p. 585.

LXXVI.

2. Quòd, ad Imperatoris nutum & jussum ad ipsum Synodum Legatos suos mittere oportuit.

LXXVII.

3. Quòd causa Patrum Concilij cognita & dijudicata ab eodem; adde quòd & decretum Concilij, contra Nestorium, ab ipso publicâ autoritate confirmatum.

Evagrius lib. I. c. 5.

LXXVIII.

Quòd si Synodus jurisdictionem Papæ agnovisset, & potestatem illam, quam ipsi Bellarminus, ceterique Aulæ Romanæ Gnathones tribuunt, calculo comprobasset suo incompetentiam Fori, contra Imperatorem, haud dubiè allegasset, & ad Pontificem Romanum provocasset.

LXXIX.

Subordinatus, sive *secundarius* Concilij Præses fuit Cyrillus, non tam ideò, quòd Pontificis Romani Legatus, ut Antagonistæ arbitrantur; quàm quòd Theologus autoritate, eruditione & Zelo clarissimus.

LXXX.

Quò spectat quod Celestini Successor Leo Papa ipsemet asserit: non istum Prædecessorem suum: sed Cyrillum Synodo Ephesinæ præfuisse.

Epistola 47.

Prioris Ephesinæ Synodi, cui sanctæ memoriæ Cyrillus Episcopus tunc præsedat.

In Cod, Lib, I. tit. 8. c. 8.

Ephesina

Ephesina Synodus, cui beate memorie Cyrillus presuit.

LXXXI

Idem quoque arguit, quod Cyrilli nomen nomini Celestini non postpositum; sed præpositum legitur.

*II. Episcopi, qui interfuerunt
Concilio.*

LXXXII.

Ceterum Episcoporum, qui ad hoc confluerunt Concilium numerantur ducenti. Tom. 1. Concil. p. 540.

LXXXIII.

Plerorumq; nomina propria recitantur eodem Tomo f. 578. 588.

LXXXIV.

Præcipuæ autoritatis erant, Cyrillus Alexandria, Iohannes Antiochia, Iuvenalis Hierosolymorum, & Memnon Ephesina Ecclesie Episcopi.

3. Antagonista.

LXXXV.

Antagonista erat Nestorius, de cuius *νεστοριανισμός* talis assignatur Tom. 1. Concil. p. 533.

Interea ab Antiochia visum est advenam evocari debere. Erat enim ibi quidam, Nestorius nomine, genere Germaniciensis, bonæ vocis & simul eloqui; ideoq; eum, quasi opportunum doctrinæ evocaverunt, cumq; transissent tres menses, Nestorius venit ab Antiochia, qui castitate inter plurimos præcipuus habebatur. Quibus antem fuerit moribus institutus, sapientes à primo ejus sermone non latuit. Ordinatus enim 10. die Aprilis, consulatu Felicis & Tauri, mox illam divulgatam coram omni populo prodidit vocem, faciens sermonem ad principem: Da mihi inquit, ô Imperator terram purgatam ab hæreticis, & ego cælum tribuo. Debella mecum hæreticos, & ego tecum debellabo Persas &c.

LXXXVI.

Iubebatur is à Synodo, anathematizare dogmata, duodecim anathematismis comprehensa in Epistola Synodi ad Nestorium Tom. 1. Concil. p. 538.

LXXXVII.

Quod ab initio recusabat: sed rebus *συρρηχθείς* inter Cyrillum, Deiparam

C

& Johannem Antiochenum ortâ , perturbatis, Mariam Dei-
param vocavit, sic elocutus:

Dicatur Maria Deipara, & dissensiones animorum sedentur.

Socrates Lib. 6. c. 33.

LXXXVIII.

Verùm cum intelligeretur fucatam esse & simulatam illam
pœnitentiam Nestorij; non fuit receptus, *Socrates ibidem*

VII. Finis & effectus.

LXXXIX

Concilij istius Oecumenici effectus fuit, quòd controversia à
Nestorio mota feliciter fuit contopita, & in primis quasi favillis
extincta; id quod, exhortante Hieronymo circa omnes hæreses
observari convenit.

X C.

Et quanquam ea de re, anno à Synodo illâ primo & secundo
adhuc in Orientali Ecclesia viguit dissidium: istud tamen sedatũ
mox fuit, per Cyillum editâ 12. anathematismorum solenni,
adversus Ετεροδοξοι Confessione, literis consignatâ.

Tam. 1. Concil. p. 571. & seq.

F I N I S.





IN HONOREM
Ornatissimi
DN. RESPONDENTIS.

Ναὶ εὐρέζεις ΙΩΑΝΝΗ πολυφίλταθ' ἑταῖρε,
ὡς ἀσδὴν θείαν κῆρι Φιλίαις κρατερῶ.
Θευλογιῶν γδ' ἀπὸ ἀσδάων ὠφελέεσσιν
Δῆλον ὄπισθ' ἀμείνοισι παῖσι βροτῶσιν ἔφυ.
Τούνεκα συγχαίρω μέσταισι τεῶς γλυκερῆσι,
καὶ ἀσδὴν ἱερὰν δοξολογῶ ἔπεσι.
Κρατερόςθιμ' ἀτὰρ πέλη ἐν Δαλέξειθ' ἔργω
Νικήσεις ποτε σὺν παμμεδέοντι Θεῷ.
Ἡνίδε Φορσθῆρος χαρῆς, σοφὸς ἐργοδιώκτης,
Πιστὴ παρέσαι ὁμῶς σοὶ ἀποκρηνομένω.
Σπεύσον ΙΩΑΠΝΝΗ τελείην Δαλέξειθ' ἔργον
ἔτω ἐν ἀνθρώποις κῦδ' ἄριστον ἔχεις.

Georgius Burchardus Ador-
fia-Voitlandus.



10/19



05 A 525


ULB Halle 3
004 209 443



wort







FAVENTE CHRISTO
IMMANUELE,
VIII. DISPUTATIO
συνοδολογική,
εαυε
V. Specialis, & prior de SYNODO
EPHESINA I. Oecumenica III.
De
ACTIS SIVE REBUS GE-
ftis Synodi, κατὰ κρίσεις, ἰσορροπῶς,
In Electorali ad Albim Academia,
Proposita
AUTORE AC PRÆSIDE
IOHANNЕ FÖRSTERO
SS. Th. D. & Prof. Ordinario.
Respondente
JOHANNЕ SCHULTETO Vratislaviensi.
Ad diem 12. Decembr. horis locoꝝ consuetis.
WITTEBERGÆ,
Ex officina Iohan. Gormanni
ANNO M. DC. XII.